

omnia omnia consumanda, ante consummationem omnia perturbatur, ait Grego. Hom. 35. O terribilem, horrendum que diem, quem tam pauenda pronunciant, cui tamen tantum sunt dissimiles, quantum à potentia iudicis persona distat præconis, ait Greg. in hom. hodierna, Verum sic peccatoribus, & impiis, non autem iustis. Hi enim his incipientibus lætantur, securi in corpore, & anima, quibus dicitur à domino Leuate capita vestra. Et tantum de primo.

Qua præparatio, ne illum diem timeam? Ut autem nobis dies illa non sit formidini ex reprobis, sed exultationi cum iustis, Curemus ut signa illa, quæ in euangelio audiuius, mysticè in nobis inueniamus. His in nobis fieri incipientibus secundum verbum domini leuare poterimus capita nostra, scientes quia appropinquat redemptio nostra. Sunt enim in nobis velut in microcosmo Sol, Luna, Stellæ &c. quæ in maiori mundo consistunt. Ratio nostra siue intellectus sol est, cuius est, cætera, quæ hominis sunt illuminare, quo oriente dies est, occidente, nox. Hinc Sapient. 5. dicitur. Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Voluntas verò (quæ propter sui libertatem vertibilis est, & in utraque partem mutabilis, de se cæca, & stulta, nisi ratione illuminetur, Luna est, quia scriptum est Stultas, ut Luna mutatur Eccl. 27. Fiat itaque in intellectu nostro, & voluntate signa, quæ in sole futura sunt, & Luna, qualia Ioel. 2. ait, Sol vertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus, & terribilis, Et dominus Mat. 24. Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo. Sol obscurabitur versus terram, non versus venientis maiestatem, nisi forte apparenter propter præsentiam, ac ad aduentum Christi maioris luminis obscurari videatur. Ita sol nostræ intelligentiæ versus terram, & ea, quæ deorsum sunt, tenebreseat ut stultus fiat mundo, qui sibi sapiens videtur in hoc sæculo, ut sit sapiens Christus, quia sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum 1. Cor. 3. Sed & in aduentu maioris luminis fidei, quo sol

Christus illuminat venientes in hunc mundum, sol intelligentiæ naturalis cõtenebreseat, nihil cunctetur, nec possibilitatem aut causas requirit, aut præualeat in suo lumine aduersus diuinam institutam, quæ per fidem innotescent, scientes quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus 1. Cor. 1. & in 3. Quod enim secundum errorem gentiliu tanquam stultitia de Deo dicitur, excedit omnium hominum sapientiam penitus in captiuitatem redactam in obsequium Christi 2. Cor. 10. ut etiam Apostolo nõ iudicemus nos scire aliquid nisi Christum, & hunc crucifixum 1. Cor. 2. Luna mutatur in sanguinem, dum sic noctis voluntas & effectus Christi sanguine inebriatur, ut se totam illi referat, cui se gaudet sanguine lotam, resistens propter eum vitis, & vniuersis Christo contrariis usque ad sanguinem, non parcens carni, & sanguini propter quæ Dei sunt pro cuius amore, & sanguinem fundere sit parata, dum hoc nec sitas fidei, atque Dei Beneplacitum requirit, dicens cum Sephora, Sponsus sanguinum tu mihi es. Exodi 4. Stellæ, quæ duntaxat in nocte lucent, cadunt, dum carnis, ac mundi oblectamenta, & affectiones, quæ placent in nocte ambulantiibus, eisque lucent qui secundum eas in omnibus se dirigunt. Hæc inquam, cadunt de firmamento. i. de parte intellectiua, quæ suprema est in homine, & sensitiuum regere habet, sicut cælum inferiora, dum à ratione repelluntur, & à voluntate spernuntur. Hæc quando aguntur, sit in terris in carnali sensu præfura gentium, gentilium. f. & carnalium cogitationum, & affectionum, quæ sunt familia in regno animæ, ut vult Hugo de regno animæ. Præ confusione. i. confusa, & importuna suggestionem fluctuum maris, aquarum multarum fluidarum volu pratum, ac turbationum exteriorum spiritui rebellantium, ac resistentium. de hoc Bern. ser. ad clerici. A resistentibus hominibus, vel spiritualibus præ timore recidit, & diuini iudicii, quia nescit homo, an odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum incerta reseruantur. Eccl. 9.